

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historia Zaringo Badensis

Schöpflin, Johann Daniel

Carolsruhae, 1765

XXVI.

[urn:nbn:de:bsz:31-295118](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-295118)

XXVI.

CHARTA TRANSACTIONIS DE LIMITIBUS INTER
 ABBATIAM S. PETRI ET INTER CELLAM, CANONICORUM
 REGULARIUM MONASTERIUM.

A N N O M C X X I.

Ex Monasterio S. Petri.

In Nomine Domini nostri Jesu Christi taliter facta est concordia, & confirmata inter Monachos Cœnobij S. Petri de monte, & Canonicos de Cella sanctæ semperque virginis Mariæ de terminis locorum, in quibus in nigra sylva commorantur. Anno ab Incarnatione Domini M. C. XXI. Epact. nulla, concurrente vero Indiēt. XIII. Luna XVIII. quarto Non. Aug. in præsentia venerabilis Vdalrici Constantiensis Episcopi, & Ducis Bertholdi, & D. Brunonis & aliorum Principum scil. Dom. H. Marchionis, Friderici de Woluahe, Conradi de Zaringen generis comitis Berth. cum quidam terminos per cœvalles circa capellam S. Nicolai extendere vellent. tandem communi assensu utrarumque partium omniumque judicio principum, ut expulsa omni controversia diabolicarum insidiarum vera pax Christi inter eos firmaretur. fratres de Cœnobio S. Mariæ S. Petro duo beneficia 4. solidos in tributo pendentia concesserunt. Monachi autem de S. Petro B. semperque virginis Mariæ usque ad cacumina montium ubi etiam planities æqualiter inter

eos divideretur nihilominus benevole suos terminos extendere permiserunt. Nunc igitur ut replicem, per crepidinem montis a diruto Castro *Wisenege* usque ad magnam vallem, in cuius extremo S. Margaritæ silvacensis Monasterium situm est planitie per medium divisa certi termini utrinque designantur. Domino Episcopo pro autoritate a Domino sibi concessa confirmante, & ne ulterius mutaretur contradicente. Christo vero regnante, & ad latitudines regni cœlestis nos vocante, cui est honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.



XXVII.

EXCERPTA EX EPISCOPI SPIRENSIS CHARTA SUPER ECCLESIAM BACKNANG.

A N N O M C X X I I .

Ex Befoldi Thesauro praef. in voce Baden p. 73.

Ego Bruno Episcopus justis petitionibus votisque piis & divina inspiratione conceptis desideriiis *Hermani Marchionis* annuens concessi, ut in Ecclesia S. Pancratii Martyris instructa quam ipse & *uxor eius Juditha*, ipsiusque parentes prædiis & decimis ditaverunt, paupe-

Nota. Charta hæc non amplius extat in Tabulario Episcopatus Spirensis.